



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annales Mariani Societatis Iesv

Nádasi, János

Romæ, 1658

Anno MDLXXX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42840

sibi visus est apertè dicentem : *Ximene*, memor esto animarum purgatorij. Promisit, & præstitit. Idem P. Balthasari Alvarez cùm redderet conscientia rationem, factus est, se Beatissimæ Virginis allocutione nocte quadam ad studium perfectionis accensum adeo, vt nesciret quid amplius desiderare posset. *Macte animo, Ximene*, aiebat Virgo illi loquens; *age vt agis: perge prosperè per hanc ipsam quam tenes arreptæ obedientia cæcæ viam. Hac rectis itineribus, & regia via pergis.*

Obedientia cæcæ illam colere.

924. Hunc eundem Ioannem triplex ille ad salutationem Angelicam pulsus deprehendit in saxo sursum voluendo occupatum. Audito signo Ioannes mox dimisit saxum, vt Deiparam salutaret. Stupuit socius qui aderat, & videbat, quòd saxum licèt à nemine teneretur, tamen deorsum pondere suo præceps non descenderit.

P. Simonem Rodriguez Beatissimæ Virginis pulchritudinem cogitantem, raptum ferunt, molem ipsam membrorum animo subleuante, pectorisque incendio inflammante vultum erectis in cælum oculis tollebat in sublime, subductus à terra; rursusque deprimebatur impetu spiritus tanto, vt artuum tota compages dissolui propemodum concussu collisusque videretur.

ob. 1579. Hist. Soc. n. 290.

ANNO MDLXXX.

925. P. Balthasarem Alvarez Româ in Hispaniam reducem fama est Laureti Deiparam religiosè veneratum à Dei Matre consiliū accepisse, vt S. Iosephum magno studio coleret. id quod ille, sub mortem haud obscure postea testatus, Patrum cuiuspiam S. Iosephi cultum suadenti, & eiusdem imaginem ad venerationem offerenti, dixit: *Optimè dissis: sic enim hæc Domina mihi dixit.* Patre Eduardo Mer-

ob. 1580.

S. Iosephū colere.

*em J. P.
Andree
Caxerla
misso Ro-
mam ad
Assist. Hi-
spanie.
mibi pag.
14. & 15
Consl. B.
V. confes-
sio accu-
rata.
Mors.*

Mercuriano (qui hoc anno obiit Præp. Generalis) Societatem in Belgio gubernante, ibidem in Vrbe quapiam quidam de Societate, seu moriens, seu quorundam opinione iam mortuus, repente sibi redditus exclamauit: se à Deipara contra dæmones defensum, cum diceret: *Sinite istum, finite. est enim è Societate Filij mei: & bene exercuit obedientiam.* Iussumque se ab illa accuratiùs confiteri. id quod prætitit: adiecitque; eodem tempore quo ipse à Deipara defensus fuerat, quendam in eadem vrbe clericum (hominem palàm malæ notæ) à dæmonibus abreptum ad æterna incendia. Inuestigauit Euerardus; num eo tempore clericus quispiam è vita migrasset, certòque compertum est eadem horâ infamem quendam è clero viuere desisse.

926 Hoc anno 1580. 27. Ian. obiit Ioannes Brionius Coad qui se à Beatissima Virgine in imagine depicta manifesto nutu capitis ad Societatem accersitum dixit.

ANNO MDLXXXI.

*Sacchinus
hic.*

*Superiores bonos
per illam
petere.*

927 P. Claudium Aquaiuiam Societati à B. Virgine datum Generalem ita memorant nostri facti. Ipso in comitio Claudius Matthæus Franciæ Prouincialis, dum secum ipse preces de more ante suffragij lationem facit; videre sibi visus est Aquaiuiam hinc D. Bernardo, hinc B. Ignatio cingentibus latera, à Beatissima Virgine Deo Patri, Christoque Filio commendari, eique Societatem à Domino in manus tradi. Camilla Cardia Florentiæ magna in opinione sanctitatis Matrona, rogata, vnderem (de Claudio Aquaiuia Generali, vt aiebat, ipsa, creando) tanto ante prænosset; dixit; visum sibi inter Sanctos Augustinum, atque Bernardum videre medium Claudium; atque in conspectu Beatissimæ

Vir-